

# Bogdan Jankowski

---

## Schola historiae formarum quid de resuscitationibus evangelicis sentiat : exponitur atque examinatur : pars altera : placita scholae historiae formarum examinantur

---

Collectanea Theologica 21/2-3, 219-258

---

1949

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

BOGDAN JANKOWSKI

SCHOLA HISTORIAE FORMARUM  
QUID DE RESUSCITATIONIBUS EVANGELICIS SENTIAT

exponitur atque examinatur.

PARS ALTERA

PLACITA SCHOLAE HISTORIAE  
FORMARUM EXAMINANTUR

CAPUT I  
QUID VALEANT SCHOLAE PRINCIPIA

Sicut antea separatim exposuimus placita amborum Scholae magistrorum, quo melius genuina utriusque mens eluceret, ita et nunc dum Scholae principia generalia primum nobis examinanda occurrunt, satius videtur prius scrutari utriusque auctoris sensa propria, post vero fundamentalem totius Scholae investigandi rationem ad trutinam revocare.

Art. 1. Propria utriusque auctoris principia examinantur.

§ 1. Utrum recte *D i b e l i u s* distinguat describatque novellas necne.

Quod attinet originem indolemque novellarum, considerata sunt nobis: quomodo dividat *D i b e l i u s* singula genera a se inventa in traditione evangelica et quo modo reducere co-

netur haec genera ad functiones quasdam peculiare in primitiva Christianorum communitate vigentes.

Ex omnibus, quae D i b e l i u s habet de divisione generum, sufficit nobis, ut distinctionem paradigmatum et novellarum aestimemus. Nemo sane negabit in Evangeliiis certas pericopas ab aliis ita compositione ipsa differre, ut aliarum stilus brevis atque concisus ab aliarum sermone abundantiore primo obtutu facile distinguatur. Nihilominus nimis artificiosa, rebus gestis contraria et — ut ita dicam — antipsychologica videtur nobis ista temptatio adscribendi unumquodque genus, quod — nota bene — certis notis vix potest discerni, speciali cuidam functioni seu ministerio in communitate. Omnino denique illicitum est, utpote quod sit manifesta μεταβασις εις άλλο γένος solis s t i l i differentiis niti in deducendis conclusionibus, quae praeiudicent de narrationum quarumlibet f i d e h i s t o r i c a.

Ac primum quidem minime consentanea est veritati tum historicae tum psychologicae haec constructio theorica, quam proposuit D i b e l i u s, quasi primitus adfuisset sola praedicatio concisis tantum paradigmatis illustrata, multo vero post exortum esset desiderium vitae Christi cognoscendae, quod desiderium creasset specialem classem n a r r a t o r u m, qui omnino diversi fuissent a primitivis „ministris sermonis“. De quibus narratoribus silere fontes historiae ipse D i b e l i u s ultro concedit, sed hoc eum minime impedit, quo minus contendat eorum existentiam certo demonstrari indole ipsa stili plurimarum pericoparum.<sup>1)</sup>

In qua suppositione duo puncta parum fundata esse videntur: tardior origo narrationum thaumatologicarum et specialis categoria narratorum. Quantum enim novimus ex Actibus Apostolorum et Epistolis res gestas Christianorum communitatis, apostolica praedicatio inde ab initio utroque utitur elemento: proponendo doctrinam novam statim Christi miracula tamquam solidissima argumenta appellat. Et hoc est psychologiae appri-

<sup>1)</sup> Cf. FGE 66 sq.

me consentaneum, praesertim cum ageretur de excitanda fide, quae divinitus inspirata allataque esse exhiberetur.<sup>1)</sup>

Sed neque potest admitti tardior origo novellarum propter stilum earum verbis abundantem. Diversus enim modus reproducenti verba Iesu et ipsius miracula enarrandi imprimis dependet ab ipso argumento: alio atque alio modo referuntur gesta praeclara et allegantur sermones. Quod facili negotio deprehendi potest in litteris omnis aetatis. Ex hisce differentiis stili colligi potest ad summum varius gustus aestheticus, non vero senior origo, siquidem unus idemque „praedicator“ utrumque pariter posset exsequi, doctrinam videlicet exponere fideliter quasi expressis verbis necnon vivide depingere Christi miracula.<sup>2)</sup> Tota igitur ratio distinguendi paradigmata originis Palaestinensis a novellis potius hellenisticis inspirata esse videtur ideis, quas Gulielmus Bousset exposuerat de origine Christianismi, in „vita“ vero „sedem“ vix potest invenire.<sup>3)</sup>

Neque litterarum ars critica admisit hanc distinctionem, quam proposuerat Dibelius. Iam primo obtutu sat mirum apparet, quod novella apud eum fere idem est atque narratio thaumatologica, movetque suspicionem auctorem hunc non secundum stili differentias, sed propter argumentum, hanc suam dividendi rationem excogitasse.

Ac primum quidem limites intra utrumque genus, paradigma scil. et novellam, non ita clare elucent. Tres enim enumerat Dibelius notas distinctivas novellarum, comparatio-

<sup>1)</sup> „Les évangiles ne nous ont pas été transmis pour nous permettre de construire une biographie de Jésus telle que l'entend la science historique, mais afin de rendre Jésus présent à la foi qu'ils veulent faire naître“. J. G. H. Hoffmann, *Les vies de Jésus et le Jésus de l'histoire*, Uppsala 1947, 217.

<sup>2)</sup> Cf. Fl. V. Filson, *The Christian Teacher in the First Century* Journal of Biblical Literature 60 (1941) 325.

<sup>3)</sup> Cf. P. Benoit, *Réflexions sur la „FG Methode*, RB 53 (1946) 494 sq, praesertim haec: „La vie réelle est complexe et se moque des classificateurs en chambre... Pierre et Paul, et Jacques et les autres, ne se sont pas demandé, quand ils parlaient, s'ils proposaient des Paradigmes ou des Nouvelles; ils ont parlé...“.

ne instituta cum paradigmatis: 1. res fusius in novellis nar-  
rantur, 2. adsunt ibi motiva profana, 3. desunt autem effata Iesu  
maioris momenti et generatim omnia, quae aedificandis fidelium  
animis solent inservire.

Ad singula haec liceat animadvertere.

1. Recte quidem observatur fusior circumstantiarum nar-  
ratio in historiis, quae plerumque sunt longiores relationibus  
dictorum memorabilium. Sed id argumento earum proprio per-  
quam est consentaneum minimeque impedit, quominus istae  
„prolixae“ narrationes etiam in praedicando tamquam exempla  
adhiberentur, et quidem optime. Ceterum comparentur longi-  
tudine Lucana resuscitatio iuvenis oppidi Nain (Lc, 7, 11—17,  
i. e. complexa septem versiculos), quae novellis accensetur cum  
sanatione paralytici apud Marcum descripta quae inter para-  
digmata recensetur (Mc 2, 1—12, i. e. constans versiculis duo-  
decim!). Comparatione hac instituta, statim fugit nos, cur diver-  
sis generibus adnumeraverit *Dibelius*, dum notae distincti-  
vae adsunt proportionem prorsus contraria.

2. Neque praesentia motivi cuiuslibet profani inservit quic-  
quam his generibus bene distinguendis. Ita v. gr. in descrip-  
tione procellae in mari a Iesu sedatae verbo, quae in novellarum  
numero exstat (Mt 8, 23—27 cum parallelis), discipulorum timi-  
ditas aestimatur profana mundumque redolens.<sup>1)</sup> At e contra  
conamina discipulorum, qui arcent a Iesu matres cum infantibus  
(Mt 19, 13—15 cum parallelis), minime auctorem prohibent, quo-  
minus hanc scenam in paradigmatum numero habeat. Praeterea  
constant plurima adesse in narrationibus thaumatologicis vesti-  
gia earum strictae connexionis cum cultu, dum — ex opinione  
auctoris nostri — novellae quam maxime distant a vita religiosa,  
cum sint indolis profanae.

3. Defectus dictorum Christi memorabilium in novellis plus  
aequo exaggeratur. Satis est enim, ad enuncleandum hoc allegare  
quasdam — ut nuncupat ipse auctor — „conclusiones chorales“

---

<sup>1)</sup> Cf. FGE 74.

vel „dicta minoris ponderis“ in novellis exstantia, quae et concisionem et sententiarum vim paradigmatis propriam ostendunt. Exempli causa consideremus verba Iesu in miraculo supra citato tempestatis sedatae: „Quid timidi estis? Nondum habetis fidem?“ (Mc 4, 40) vel conclusio versiculo sequenti expressa: „Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare oboediunt ei?“ Num — rogo — differunt vi atque sensu a paradigmatis? Aut — ut aliud afferamus exemplum — in colloquio Iesu cum patre pueri daemioniaci (Mc 9, 23 sq) nonne expressis verbis inculcatur fidei efficacia, ergo res summi momenti pro vita religiosa?

Et generatim si praedicatio primorum Iesu discipulorum ad id tendebat, ut fidem in Christum in mentibus excitaret, quale medium aptius praesto adesset, nisi narrare historias de Eius miraculis? Mirum quantum *Dibelius* laborat, ut narrationes novellarum thaumatologicas a praedicatione semoveat, sed frustra.<sup>1)</sup>

Quae cum ita sint, rigida, quam proposuit *Dibelius*, distinctio inter paradigmata et novellas, deinde opinio de maiore auctoritate priorum cum despectu posteriorum ne in stilo quidem aut indole qualibet litteraria solide potest fundari. His omnibus consideratis concludendum est ipsum auctorem minime observasse pulcherrimum atque utilissimum principium collocandi narrata quaelibet in eorum „sede vitali“, nam praeconcepta constructio eius longe distat a rebus gestis.

§ 2. Quidnam valeant obiectiones, quas *Bultmann* movet contra fidem historicam narrationum thaumatologicarum.

*Rudolphus Bultmann* non tantum diversam atque *Dibelius* proponit formarum divisionem et nomenclaturam

<sup>1)</sup> De defectibus distinctionis inter utrumque genus cf.: *P. Benoit*, art. cit., 493—5; *E. Fascher*, *Die Formgeschichtliche Methode*, Giessen 1924, 70—8; *M. Goguel*, *Une nouvelle école de critique évangélique*, RHR 94 (1926) 127—32; *L. Koehler*, *Das Formgeschichtliche Problem des N. T.*, Tübingen 1927, 35 sq.

aliam, sed etiam severius arguit in narrationibus thaumatologicis exiguam vel nullam fidem historicam, depingens modo peculiari atmosphaeram — si fas est uti hac voce ab auctore illo adhibita— quae narrationes id genus fecerit pullulare.

Primo in divisione generum formarumque, quam perfecit *Bultmann*, omnino artificialis apparet eius suppositio de exsistentia specialis cuiusdam generis litterarii, quod unice ad Christum thaumaturgum spectaret. Adest enim tam insignis similitudo formae et argumenti inter ea, quae de Domini sermonibus (*Herrenworte*) et illa, quae de eiusdem miraculis sunt relata (*Wundergeschichten*), ut duo distincta genera et quidem diversae originis vix possint admitti.<sup>1)</sup>

En pauca puncta huius similitudinis.

1. Quod compositionem attinet, utrumque habemus dialogos. Unde fit, ut, dum nos hodie legimus Evangelia, vix animadvertimus saepe differentias litterarias seu stilisticas inter pericopas verba Iesu referentes et eas, quae miracula describunt, quoties in contextu altera species excipit alteram.

2. In constructione logica argumenti permultae adsunt consonantiae ambarum partium:

a) Primum adest analogia quaedam, quae consistit in peculiari momento verbi thaumaturgici (*Machtwort*), quod semper apud Synopticos optime est conservatum. Plurima miracula praecise verbo solo perficiuntur.

b) Ubi etiam deest verbum in miraculo patrando, ipsum miraculum non cessat esse analogum quid ad „logion“, nam sicut logia praestantissima respondent interrogationibus, ita miracula — petitionibus.

c) Sicut verba Iesu medentur animis, ita miracula corporibus.

d) Schema logicum in utriusque generis relationibus saepe fere idem conspicitur, nempe Iesus occurrit cuilibet humanae

---

<sup>1)</sup> De hoc parallelismo plura est invenire apud *O. Perels*, *Die Wunderüberlieferung der Synoptiker...* Stuttgart—Berlin 1934, praesertim 64—70, a quo mutuam desumo hanc arguendi rationem.

necessitati vel miseriae, cui deinde consulendo profert verbum, respective: patrat miraculum, et ecce oritur nova vita in ordine physico vel supernaturali. Quod vel optime patet in facto remissionis peccatorum a Iesu concessae, ubi intercedit formula: ἡ πίστις σου σέσωκέν σε· πορεύου εἰς εἰρήνην (Lc 7, 50) eadem omnino atque illa, quae pluries terminat miraculosas sanationes (Lc 8, 48; 17, 19; 18, 42).

Hae cunctae notae similitudinis, quae adest inter relationes verborum Iesu et narrationes thaumatologicas, saltem innuunt utrumque genus pertinuisse ad unicam antiquissimam traditionem, ideoque separationem, quam fecerat *B u l t m a n n*, esse arbitrariam.

Sed transeat ista divisio! Undenam tamen habetur sententia peremptoria, quam idem auctor protulit, scil. narrationes thaumatologicas omni fere fide historica destitui? Quid valet eius opinio indolem ipsam narrationum illarum, id videlicet, quod elementum continent supernaturale, iam veritati derogare? <sup>1)</sup> Num reapse constat originem earum reponendam esse demum in mentibus fidelium Hellenistarum, qui vitam Iesu historicam parum curantes, omni conatu volebant Christum, novum *Κύριον* ipsorum esse Deum, non minorem diis heroibusque Graecorum? Num desiderium istud expleturi primi illi fideles libere fingebant de Christo magnifica et pertentosa et ita quidem, ut vera fortasse facta vitae Iesu cum motivis fabularum mythorumque antiquorum in unum conflarint et nobis in forma narrationum thaumatologiarum quadriformis Evangelii tradiderint hanc mixturam? An denique comparatione instituta relationum thaumatologiarum Evangelii cum parallelis, quae existimantur a Schola, narrationibus Graecorum aut rabbinorum, erui possunt conclusiones, quae similibus Evangeliorum narrationibus veritatem prorsus abiudicent?

His omnibus interrogationibus nunc respondeamus oportet.

1. Ac primum quidem methodice omnino illicitum est, utpote sanae arti criticae adversum, quamlibet narrationem —

<sup>1)</sup> Cf. GST 244; quod citatur priore in parte: pag. 89 ad <sup>3)</sup>.



anticipata sententia et nullo examine facto — suspectam ducere ob eam solam causam, quod de supernaturali tractat eventum.<sup>1)</sup>

2. Deinde quod originem narrationum thaumatologicarum Evangelii spectat, duo sunt animadvertenda:

a) Primo, minime constat eas pullulasse demum in communitatibus hellenicis et maximam partem ibi tantum. Merito igitur a viris doctis vituperatur haec illatio, quam *Bultman* n fecit, qui ex eo, quod apud Graecos tantum extitissent viri, quibus tunc temporis potestas mira quaeque patranda adscriberetur, deduxit Graecos tantum Christianos dedisse originem similibus narrationibus ad Iesum adaptatis. Talis hypothesis reapse est effugium unicum pro iis, qui nolunt admittere traditionem de Christi miraculis ab ipsius Iesu Christi vita originem duxisse.<sup>2)</sup> Sed frustra, nam ut ita dicam, color Palaestinensis permultarum narrationum thaumatologicarum in Evangeliiis manifestus, neglegi non potest. Immo non desunt, qui contrarium quid contendunt, scil. videant omnimodam analogiam in describendis Iesu miraculis et rabbinorum.<sup>3)</sup>

b) Secundo — nullo modo contenditur potest primos illos fideles Hellenistas omnino neglexisse vitam Christi terrestrem ita, ut nostra Evangelia nullatenus pertinuerint ad genus litterarium historiarum. Nam etsi concedendum sit ultro Evangelistas non fuisse historiographos sensu hodierno immo neque annalistas sensu antiquo, cum Evangelia non sint nisi imago partem exprimens catecheseos apostolicae, nihilominus turpiter errat, qui non potest distinguere aliud esse scripsisse historiam non „lege artis“ criticae nunc vigentis, aliud vero historicam fidem neglexisse. Evangelistae enim, quamvis minime intenderint conscri-

---

<sup>1)</sup> De hoc paralogismo plura cf. apud *A. Feder*, *Lehrbuch der geschichtlichen Methode*, Regensburg <sup>3</sup> 1924, 263 et *H. Pinaud de la Boullaye*, *Etude comparée des religions*. Paris <sup>2</sup> 1921, 2, 85—8.

<sup>2)</sup> Cf. *O. Perels*, op. cit., 86.

<sup>3)</sup> Ita v. gr. *P. Fiebig*; cf. eius opera, quae supra in Bibliographico elencho proponuntur.

bere totam seriem vitae Iesu, certo tamen non voluerunt scribere nisi *v e r a*.<sup>1)</sup>

3. Omnino arbitrariâ et gratuita est suppositio primis fidelibus penitus defuisse studium vitae terrestres Salvatoris cognoscendae. Prorsus incredibile est atque psychologicè falsum id primos Christianos neglexisse, quod praecise in apostolica praedicatione, quam ex Actibus Apostolorum novimus, constituebat irrefragabile argumentum messianicae Iesu missionis. Sufficit citare prologum Evangelii Lucae, illius discipuli comitisque Pauli, qui merito Gentium doctor iam tunc temporis vocabatur: undenam, quaeso, sumitur illa ἀσφαλῆς (Lc 1, 4) tam exoptanda omni neophyto, totam vitae rationem funditus mutaturo, nisi ex narratione *f a c t o r u m* vitae Iesu? Quis enim serio adscriberet primis Christi praeconibus tantam audaciam, primis vero eorum auditoribus tantam credulitatem, ut desiderium tam naturale melius Iesum cognoscendi admitteret expletum esse fictitiis, ut aiunt, anecdotis tradendis?<sup>2)</sup>

Hactenus de momento peculiarium utriusque auctoris placitorum tractavimus, nunc vero examinanda sunt nobis communia Scholae principia.

Art. 2. Communia Scholae „Historiae Formarum principia examinantur.

Si comparantur inter se sat paucae Scholae animadversiones, speciatim illae, quae de stilo cunctarum narrationum thau-matologicarum et de resuscitationibus evangelicis factae sunt ex una parte et altera ex parte conclusiones, quae id genus narrationibus fidem historicam abiudicant, oculis cernitur mira quaedam inaequalitas fundamentorum — ut ita dicam — et constructionis supraaedificatae. Quaerenti quae sit ratio tantae disparitatis, facile venit in mentem suspicio Scholam hanc alias

<sup>1)</sup> Cf. P. B e n o i t, art. cit. 500 sq.; L. C e r f a u x, „L'Histoire de la tradition synoptique“ d'après R. Bultmann, RHE 28 (1932) 592.

<sup>2)</sup> Cf. P. B e n o i t, *ibid.*, 501; Fr. B u e c h s e l, Die Hauptfragen der Synoptikerkritik, Gütersloh 1939, 90 (totius voluminis: 436).

quasdam adhibuisse in ratiocinando praemissas, ex quibus conclusiones istae peremptoriae derivantur, totam vero analysim formae eo fine institutam esse, ut iisdem, conclusionibus iam aliunde deductis fundamenti species suppeditaretur. Multum igitur refert omnes has praemissas tum manifestas tum tacitas nunc ad trutinam revocare.

Multi critici diversa distinxerunt Scholae principia, quae perspicuitatis gratia — ut opinor — possumus reducere ad tria puncta principalia: a) quidnam teneat Schola de origine historica tum traditionis tum Evangeliorum generatim, b) quid vero speciatim de narrationibus thaumatologicis, c) denique quali methodo placita sua curet probanda.

### § 1. Summa Scholae principia in memoriam revocantur.

a) Ac primum quidem quod originem historicam traditionis synopticae vel omnino evangelicae attinet, Schola ipsam iubet quaeri in spontanea, inconscia, omni reflexione experti activitate religiosa primitivae Christianorum communitatis — ceterum amorphae et anonymae.<sup>1)</sup> Quae creavit traditionem secundum principia, ut aiunt, immanentia, quibus singuli Scholae asseclae varia tribuunt nomina; ita v. gr. Dibelius originem formarum videt in singulis communitatis ministeriis, Bultmann a n n mavult propensiones (Tendenzen) detegere, alii exigentiam cultus primo loco ponunt. Tali modo exorta traditio oralis evolvebatur secundum leges creationis litterariae spontaneae per tempus aliquod, deinde paulatim litteris mandari coepta est, denique singula traditionis fragmenta scripta vel oretenus translata ab Evangelistis tamquam redactoribus in opus collectivum Evangeliorum (Sammelgut) inserta sunt. Durante autem hac evolutione cultus humanitasque Graecorum multum in formanda traditione valebat.<sup>2)</sup>

<sup>1)</sup> „...niemand kann sagen, welcher Zeuge, Prediger, Erzähler die griechischen Worte gerade so gefügt hat.“ M. Dibelius, Die Botschaft von Jesus Christus, Tübingen 1935, V.

<sup>2)</sup> Cf. *ibid.*, V—VIII; GST 251—3; FGE 97—9.

Quae cum ita sint, Evangelia utpote fructus talium processuum pertinent ad litteras *inferioris speciei* (Kleinliteratur) seu *populares* (das volkstümliche Schrifttum).<sup>1)</sup> Alia eius modi exempla ex parte formae litterariae sunt: mythologia, scripta apocrypha, legendae Sanctorum, apophthegmata et his similia. Frustra ibi quaereres auctores determinatos vel testes eventuum vel studium veritatis historicae accurate referendae, sed narrationes sine indicatione temporis, loco interdum designato, proponi solent.<sup>2)</sup>

b) Narrationes thaumatologicas Evangeliorum — uti vidimus — ambo Scholae magistri plus minusve suspectas habent, quod attinet fidem historicam, etsi uterque non iisdem rationibus dubium hoc probandum curet. Dum *Dibelius* seriorem originem ipsis adscribit, nimis „saecularem“ colorem vituperat, fidemque historicam sensu perquam peculiari admittit<sup>3)</sup>. *Bultmann* ulterius procedit et ob varios influxus, quos subierant, non credit narrationes thaumatologicas „uti tales“ esse historicas.<sup>4)</sup> Sed quodnam est commune utrique magistro dubitandi fundamentum? Vera rerum gestarum imago, quae subest fortasse his narrationibus, remanet pro nobis — ut ait unus ex Scholae asseclis — *mysterium impenetrabile*<sup>5)</sup>. Cuius rei causa in eo quaerenda est, quod nobis scitu pervia sit *sola fides primitivae communitatis*, non series factorum, quae forte antecesserant. Nam alia formarum traditionis non datur origo, nisi vita communitatis.<sup>6)</sup>

---

<sup>1)</sup> „Die urchristliche Literatur hat sich aus privaten Niederschriften bis an die Grenze der grossen Literatur entwickelt, nur zwei oder drei ihrer Texte gehören in die Nähe des Philons oder des Josephus. Alles übrige ist *nicht* literarisch oder Klein-Literatur: FGE 2; cf. etiam ibid. 90: de parallela specie litteraria Evangeliorum et litterarum popularium.

<sup>2)</sup> Cf. FGE 2—4.

<sup>3)</sup> Cf. FGE 99; *Dibelius*, Die Botschaft, 154.

<sup>4)</sup> Cf. GST 244.

<sup>5)</sup> Cf. opinionem *A. Friderichsen* citatam supra: 81 ad <sup>1)</sup>.

<sup>6)</sup> „Letzter Ursprung der Form ... ist das urchristliche Leben“: FGE 8.

c) Methodus Scholae consequitur principia. Scopus investigandi est detegere leges activitatis litterariae, secundum quas ortae sunt singulae formae, supposita stricta dependentia uniuscuiusque formae a propensione vel functione vel exigentia communitatis primitivae, Quas formas nunc iam plus minusve apte insertas in opus, ut ita dicam, *m u s i v u m* Evangeliorum, quod iam Evangelistis seu redactoribus debetur, eliminemus necesse est et sublatis contaminationibus, si quae adsint, ad puras formas primitivas reducamus, ratione habita mutuae istius dependentiae antea stabilitae, quae viget inter formam litterariam et vim creatricem communitatis.

Quod speciatim narrationes thaumatologicas attinet, methodus comparativa maximi est momenti. Nam ad primitivum narrationis motivum detegendum consideremus oportet narrationes similes stilo aut argumento ex litteris rabbinicis vel Graecis decerptas, quas *analogias* appellavit haec Schola. Quarum ope hoc modo subruitur fides historica narrationum evangelicarum: utrimque adsunt „loci communes“, qui dicuntur, narrandi miracula, qui resultant ex similibus utrimque causis fingendi tales fabulas seu — ut aiunt Scholae illius magistri — ex simili in communitate atmosphaera. Atqui constat tum rabbinicas tum Graecas id genus narrationes maximam partem omni prorsus auctoritate historica carere. Ergo utrimque fictio libera supponenda est adfuisse tum in fabulis rabbinicis Graecisque tum in praeevangelica traditione Christiana. En quo modo ab investiganda forma litteraria transitur ad sententiã ferendam de argumenti fide historica.

Iam transeamus ad haec Scholae principia examinanda. Prius igitur de origine traditionis evangelicae, deinde de methodo comparativa Scholae tractabimus.

## § 2. Quid censendum de theoria originis tum traditionis tum Evangeliorum.

Descriptio originis Evangeliorum, supra allata, est rebus gestis prorsus contraria. Quamquam nemo sane negabit in-

fluxum, quem gustus, proclivitates, exigentiae vitae religiosae fidelium potuissent exercere, ut haec praecise et non alia vitae Salvatoris fragmenta ex immensa mole catecheseos oralis ab Evangelistis conscribenda eligerentur, manifesto tamen exaggerat Schola Historiae Formarum hunc influxum, nimium freta principiis suis „sedis vitalis“ et activitatis spontaneae. Contra haec supposita inculcemus oportet communitatem primitivam exercuisse suum influxum ad summum *excitando* scriptores, minime vero potuisse narrationes quasi ex nihilo creare, utpote cuius rei omnino esset incapax. Turba enim anonyma et amorphia semper repercutit tantum impulsus aliunde receptos.<sup>1)</sup>

At primum silentio premit Schola medullam traditionis evangelicae, quae consistit in testimonio discipulorum de Magistro.<sup>2)</sup> Cur hos modo agat sine negotio explicatur. Testes enim oculares huic theoriae maximo sunt atque insuperabili obstaculo, utpote quibus veracitatem abiudicare sine fundamento nimiae esset temeritatis.<sup>3)</sup> Quid igitur restat, nisi adhibere medium perquam commodum et, amotis procul testibus factorum, fingere tamquam auctorem traditionis communitatem anonymam, cui multo facilius adscribi possit effrenatum studium fabulandi de Christo maxime quaeque portentosa. At quicumque re-

---

<sup>1)</sup> Cf. L. de Grandmaison, op. cit., 2, 194; Bene ad rem E. C. Hoskyns, Jesus der Messias, in opere colectivo Bell-Deissmann, *Mysterium Christi*, Berlin 1931, 91: „Die Evangelien, wie sie uns vorliegen, sind der Form nach zweifellos das Werk von Evangelisten, die Glieder christlichen Kirche waren; aber die schöpferische Wirksamkeit liegt bei Jesus und nicht bei der Kirche oder bei einer Reihe von Herausgebern. Der Stoff, den die Evangelisten behandeln, ist gewältiger, als dass sie ihn völlig meistern könnten...“

<sup>2)</sup> „La méthode propre à M. Bultmann consiste à négliger systématiquement ce qui est l'essence même de la tradition, le témoignage concernant le fondateur“. L. Cerfaux, art. cit., 592.

<sup>3)</sup> „...quantité inconnue et très commode (est le groupe anonyme) à laquelle on fait tout endosser. Car les témoins oculaires sont gênants. Ils ont vécu les faits. On hésite à leur attribuer des rapports trop mensongers...“ P. Benoit, art. cit., 503.

bus gestis cognoscendis studet, non vero praesuppositis philosophicis probandis, aliam atque effinxit Schola Historiae Formarum originem aliamque traditionis synopticae evolutionem in fontibus facile reperiet.

Quae omnia nunc breviter exponimus.

1. Ac primum quidem animadvertendum est inter Iesu vitam publicam et conscriptionem traditionis synopticae ad summum interfuisse spatium *triginta* annorum<sup>1)</sup>. Ergo difficillimum est creditu tempus tam breve potuisse sufficere ad collectivam totius traditionis evangelicae productionem, cum eiusmodi formationem complura saecula durare litterarum historia luculenter demonstret.<sup>2)</sup>

2. Deinde modus scribendi in Evangeliiis conspicuus, etsi in pluribus notis prodit colorem popularem, quod clare innuit catechesim primitivam, aegre tamen sinit Evangelia sine ambagibus adnumerari litteris „inferioris speciei“ (Kleinlitteratur); cuius notae distinctivae — ut constat — sunt: defectus indolis personalis, ipsius auctoris indeterminatio chronologica in describendis plerisque eventibus, unicum studium aedificandi lectores neglecta quaestione fidei historicae narrationis etc. Quae si prae oculis habentur, fatendum est vel maxime populare Evangelium Marci his notis carere et contra — quod praesertim inculcandum est — indolem personalem sui auctoris prae se ferre expressam.<sup>3)</sup>

3. Post — totius traditionis evangelicae medulla atque principium induit semper formam testimonii<sup>4)</sup> ita, ut munus testificandi sit veluti tessera et ratio existendi huius traditionis ex una parte, ex altera vero tribuat nobis nexum dependentiae ne-

---

<sup>1)</sup> Non desunt auctores, qui nonnisi 10 annos, i. e. a 40-mo ad 50-um, traditioni orali liberae concedant. Ita ex acatholicis v. gr. L. K o e h l e r, op. cit., 24.

<sup>2)</sup> Cf. F.-M. B r a u n, OÙ en est le problème de Jésus?, Bruxelles 1932, 240; L. K o e h l e r, ibidem; L. J. M c G i n l e y, Historia Formarum quoad miracula sanationis in Synopticis, VD 19 (1939) 239 sq.

<sup>3)</sup> Cf. F.-M. B r a u n, ibidem.

<sup>4)</sup> „Eritis mihi testes“ Act. 1, 8.

cessarium, qui coniungit hanc traditionem cum vita Iesu Christi. Non est igitur traditio haec specimen quoddam spontaneae formarum evolutionis, sed praeprius est testimonium, quod pari modo in quibuslibet formis litterariis relucere conspicuum est.<sup>1)</sup> Et Apostolos discipulosque Iesu conscios fuisse huius principii plures Novi Testamenti paginae clare ostendunt.<sup>2)</sup>

4. Tum — Paulus ille, a quo communitates hellenisticae fundatae sunt, fatetur se rursus dependere in docendo a corpore quodam doctrinae, nam et ipse tradidit discipulis suis Graecis, quod acceperat ante.<sup>3)</sup> In docendo enim concors fuit omnino cum „columnis Ecclesiae“ — Iacobo, Cepha, Iohanne,<sup>4)</sup> durante insuper continuo commercio caritatis inter communitates iudaeo-christianas Palaestinae et illas, quas vel in Graecia ipsa condiderat, ut patet tum ex Actibus Apostolorum tum ex Epistulis Paulinis.

Quae cum ita essent, quo pacto fieri potuit Iesum, virum certo morte ignominiosa punitum, declaratum esse tam brevi tempore primo Messiam et deinde vel apud Israelitas — monotheistas rigidissimos, aetate illa, quando hellenismus nondum rerum potiri poterat in re religiosa, factum esse Deum, huic deificationi nullis factis Ipsius vitae suffragantibus? Hoc est reapse aenigma inexplicabile.<sup>5)</sup>

E contra omnia haec facta optime explicantur eo, quod exsistebat unisona traditio tum dictorum tum factorum Iesu, promulgata ab iis, qui testium auctoritate tum apud Iudaeos tum apud Graecos gavisi sunt.

5. Quod vero modum tradendi attinet, insistendum est singulari prorsus indoli animorum, qua praecones huius novae fidei

---

1) „La Tradition n'est pas une vie des „formes“ littéraires, elle reste essentiellement, à travers des formes littéraires qui l'ont présentée aux premiers chrétiens un témoignage“. L. C e r f a u x, art. cit. 594.

2) Cf. Act. 1, 8. 21. 22; 4, 20; 10, 39—42.

3) Cf. 1 Cor. 11, 23; 15, 3—11. 15.

4) Cf. Gal. 2, 9.

5) Cf. E. S c h i c k, Formgeschichte und Synoptikerexegese, Münster 1940, 265.



eminebant. Nam omnes a pueris nutriebantur educatione religiosa, quae principio auctoritatis et traditionis fideliter custodiendae quam maxime nitebatur.<sup>1)</sup> Hac disciplina a maioribus patrimonio accepta usi sunt tunc etiam, quando iter apostolicum sunt ingressi. Cui modo tradendi doctrinam perutilis fuit peculiaris Orientalium nationum facultas conservandi in memoria totum corpus doctrinae ope formarum, quae dicuntur *m n e m o t e c h n i c a e*, etiam nunc usurpatorum apud populos magis primitivos.<sup>2)</sup>

6. Evangelia, prouti nunc stant, dicuntur a Schola esse „opus musivum“ et quidem fructus processus cuiusdam evolutionis, qui tempus aliquod durabat, variis viribus agentibus. Quo admissio oritur novum aenigma: quo modo enim istae „vires immanentes“ societatis Christianorum, sponte agere solitae, effinixerint admirabilem imaginem personae Iesu Christi, in Evangeliiis expressam cum constet auctores esse semper individua, numquam communitatem? Artificia eiusmodi non fiunt fortuito. Non restat igitur nisi duplex solutio quaestionis: aut imago Christi ideo tam clare tamque distincte depingitur contra omnem stili, auctorum, formarum diversitatem, quod rerum gestarum fidem exprimit aut ob eam causam, quod molem narrationum diversae speciei et argumenti ad certam unitatem revocarunt viri quidam auctoritate pollentes.

7. Tales viri re vera non defuerunt, sed quodnam fuit munus eorum? Factum enim irrefragabile est auctoritas collegii apostolici, praesertim Simonis Petri, in deposito fidei custodiendo. Quod factum silentio premit Schola Historiae Formarum, dum illud agnoscunt libenter magis sinceri inter criticos, qui dicuntur independantes.<sup>3)</sup> Hoc facto vigilantiae, recte intellecto,

<sup>1)</sup> Cf. O. P e r e l s, op. cit., 90. Ceterum de hac quaestione cf. egregium opus J. R a n f t, *Der Ursprung des katholischen Traditionsprinzips*, Würzburg 1931; et articulum Fr. B u e s c h s e l s. v. *παράδοσις* in ThW 2, 174 sq.

<sup>2)</sup> Cf. M. J o u s s e, *Le style oral rythmique et mnémotechnique chez les Verbo-Moteurs*, Paris 1925.

<sup>3)</sup> Quos citatos cf. apud E. F l o r i t, *La „storia delle forme“ nei Vangeli...*, *Biblica* 14 (1933) 212—248.

explicatur, cur Ecclesia labentibus annis quattuor tantum retinuerit canonica Evangelia, cuncta vero apocrypha reiecerit. Haec unanimis totius Ecclesiae sententia nullatenus gustu quodam arbitrario explicatur, sed principio illo fideliter tradendi depositum, quod testes oculares reliquerant posteritati.

Si alicubi enim, certo certius in apocryphis, non autem in Evangeliiis aestimandis, supposita omnia Scholae de origine anonyma narrationum, de imaginatione effrenata auctorum etc. pleno iure adhiberi possunt, immo debent.

### § 3. Quanti aestimanda methodus a Schola adhibita.

Summa arguendi ratio contra fidem historicam narrationum thaumatologicarum stricte coniungitur cum methodo Scholae propria, quae modo valde subtili et — ut ita dicam — ex obliquo carpit earum veritatem utendo *analogiis*. Introducit enim principium „sedis vitalis“ (Sitz im Leben) pro unaquaque forma litteraria et „athmosphaeram“, in qua singulae formae pullularunt, elucidare conatur<sup>1)</sup>. Sedes illa vitalis est complexus condicionum socialium communitatis<sup>2)</sup>, quarum genuinam imaginem refert forma litteraria.<sup>3)</sup> Atqui iste complexus — quod attinet speciatim narrationes thaumatologicas Evangeliorum — propensiones eius modi prodit in communitate vigentes (v. gr. curiositatem, pium studium ornandi, augendi vel etiam mente fingendi maxime quaeque portentosa etc.), quae fidem historicam minuant vel penitus tollant.<sup>4)</sup>

Sed quid tenendum de hac arguendi ratione?

<sup>1)</sup> Cf. GST 246. 253.

<sup>2)</sup> „„Sitz im Leben“ ...nicht ein einzelnes historisches Ereignis, sondern eine typische Situation oder Verhaltensweise im Leben einer Gemeinschaft ist...“ GST 4.

<sup>3)</sup> „Die Gattung... erlaubt wiederum einem Schluss auf den sogenannten „Sitz im Leben“, d. h. auf die geschichtlich-soziale Lage, in der gerade derartige literarische Formen ausgebildet werden“. FGE 7.

<sup>4)</sup> Cf. totum caput GST 233—260 et FGE 99 sq.

Omnes fere critici uno ore dant Scholae vitio, quod omnino neglexerit narrationum argumentum, unice formae considerandae intenta.<sup>1</sup> Cuius rei consecutio haec esse videtur:

1. „Analogiae“ cunctae maximam partem sat procul distant ab argumento narrationum thaumatologicarum Evangelii, quod infra ex analysi analogiarum resuscitationum luculenter patebit.

2. In comparandis narrationibus plus aequo exagerrantur similitudines, dum Schola vix animadvertit differentias, quae saepe saepius multum referunt.<sup>2</sup>)

3. Quod miraculorum topicam attinet, non percipit Schola eam magna ex parte postulari ab ipsa facti narrati *n a t u r a* vel dependere a communi illius temporis narrandi *a r t e* atque ratione<sup>3</sup>) ita, ut vel neglegat principium omnino tenendum: „parallela cuncta eatenus tantum valere, quatenus artis narrandiabilitas ex iis percipi potest, praeterea nullius esse momenti“<sup>4</sup>).

4. Sed vel maxime exaggerat Schola principium suum „sedis vitalis“. Tam enim stricta correlatio inter determinatas formas litterarias et condiciones vitae re vera non datur.<sup>5</sup>) Nam primo: ipsa distinctio determinatioque singularum formarum fieri non potest accurate, quod vel optime ex eo patet, quod singuli Scholae fautores alio atque alio modo formas litterarias earumque correlata socialia stabiliverunt.<sup>6</sup>) Deinde constat exiguum tantum traditionis evangelicae partem prae se ferre notas formae cuiuslibet stricte determinatae numeroque praevalere

<sup>1</sup>) Cf. E. F a s c h e r, op. cit., 227.

<sup>2</sup>) Cf. F.-M. B r a u n, op. cit., 236; M. G o g u e l, art. cit., 139.

<sup>3</sup>) „...il ne faut pas tirer des conclusions trop précises parce que ces analoges peuvent, dans une large mesure, dériver des nécessités techniques de la narration“ M. G o g u e l, ibidem.

<sup>4</sup>) „...die Parallelen tragen dann nur soveit dass an ihnen die Güte der Erzählungstechnik beurteilt werden kann. Eine weitere Tragweite aber haben sie dann nicht“ L. K o e h l e r, op. cit., 37.

<sup>5</sup>) Cf. E. F a s c h e r, op. cit., 214; E. S c h i k, op. cit., 266.

<sup>6</sup>) Cf. M. Goguel, art. cit. 139.

formas mixtas (Mischformen).<sup>1)</sup> Tum merito observatur a multis criticis ipsam formationem traditionis nequaquam esse evolutam secundum solas leges proprias omni activitati litterariae spontaneae, nam tali processui in traditione synoptica resistebant tamquam elementum solidum omnia ea, quae m e m o r i a tenebant et uti talia tradebant Apostoli, testes vitae Magistri. Quam ob rem Evangelia in sat exiguo tantum gradu admittunt inquisitionem historico-morphologicam.<sup>2)</sup>

Concedendum est ultro varias communitatis exigentias religiosas multum valuisse, ut haec et non alia traditionis oralis elementa conscribenda eligerentur. Sed non semper nunc certo detegi potest istud *c o r r e l a t u m s o c i a l e*, ope solius formae litterariae analysis quae forma haud raro resultare potest ex diversis factoribus simultaneis.

Quae cum ita sint, manifestum est omnes sententias exaggeratas, hac methodo unice nixas, sat exigua probabilitate gaudere ideoque aliis criteriis deficientibus viam sternere hypothesis vel maxime arbitrariis. Et re vera sufficit comparare inter se diversa immo discrepantia responsa singulorum Scholae assellarum, quibus correlata historica explicant, cur singulae pericopae insertae sint traditioni scriptae, ut oriatur dubium fundamentum de momento talis rationis investigandi veritatem historicam.<sup>3)</sup>

Sed quidquid censetur de methodi utilitate in certis limitibus, unum certum remanet numquam solam formae litterariae analysim ad sententiam de veritate historica pronuntiandam sufficere.

---

<sup>1)</sup> Cf. *ibid.*, 158.

<sup>2)</sup> „...darum ist die Formung der Überlieferung nicht eine freie nach reinen literarischen Gattungen und ihren Gesetzen, sondern eine durch Widerstand, welchen die Erinnerungstücke den Formen entgegengesetzten, gebundene. Die Evangelien sind der formgeschichtlichen Forschung nur in geringem, mindestens im bedingtem Masse zugänglich“ L. Koehler, *op. cit.*, 34 sq.

<sup>3)</sup> Cf. D. E. Florit, *art. cit.*, 241.

## CAPUT II.

DE APPLICATIONE PRINCIPIORUM SCHOLAE HISTORIAE  
FORMARUM IN RESUSCITATIONIBUS TRACTANDIS.

Praemisis iis, quae principia Scholae tam communia quam peculiaria spectant, nunc incumbamus oportet considerandae seriei narrationum, quae a Schola parallelae aestimantur ad resuscitationes evangelicas, cum hac in re innitatur tota fere ratio arguendi contra fidem historicam miraculorum.

Tota quaestio momenti analogiarum tamquam obiectio contra historias evangelicas resolvetur, si tribus his interrogationibus datum erit responsum:

1. Utrum adsint vera parallela narratarum in Evangeliiis resuscitationum, quod attinet ipsum argumentum, necne.
2. Quid censendum sit de topica, quae dicitur, communi utrimque.
3. Quanti sint momenti differentiae, quae intercedunt inter evangelicas narrationes et profanas (rabbinicas et Graecas).

Singulis nunc respondeamus oportet.

Art. 1. Utrum adsint vera parallela, quod attinet argumentum, necne.

Quid sibi velit quantique sit momenti haec quaestio praevia, explanandum est prius. Uti iam vidimus, abusus, quem Schola in arguendo contra historicam fidem miraculorum Christi committit, in eo consistit, quod sensim sine sensu transiit a consideranda forma litteraria ad conclusiones, quae fidem historicam narrationum in dubium vocant, tali fere nixa ratiocinio: idem est utrimque argumentum, vestitum forma fere eadem, ergo eadem aut saltem simillima est utrimque origo. Priorem hanc praemissam examinemus necesse est, utrum scil. raepse idem sit utrimque argumentum necne.

Vix est cur moneamus hic non agi de argumento eodem in sensu omnino generali seu de eodem themate, sed de argumenti

notis essentialibus, i. e. — ut rem aliis verbis exprimamus — utrum proponantur utrimque ab auctoribus res narratae ut *f a c t a* historica necne, et si prius admittendum, quanti sit aestimanda utrimque testimonii auctoritas.

Ad observandum stricte limites dissertationis huius sufficeret nobis sane Graecas tantum analogias ad trutinam revocare, quandoquidem Schola iis magis insistat simulque minimum admittat nexum inter thaumatologicas narrationes Evangeliorum et rabbinicas. Sed fortasse iuvabit vel brevem mentionem facere etiam de fontibus iudaicis contra eos, qui extra Scholam hanc quidem certantes, tamen eadem utuntur arguendi ratione atque Scholae fautores, cum contendant similem fuisse atmosphaeram eamque propitiam fingendis miraculis tum in scholis rabbinicis tum in communitate Christiana. Quam ob rem prius:

### § 1. Resuscitationes rabbinicae examinantur.

Nemo est, qui non videat in hisce supra allegatis (pp. 91—94) quinque <sup>1)</sup> fragmentis traditionis rabbinicae agi de resuscitationibus sensu proprio, i. e. de corporibus post mortem physicam denuo ad vitam revocatis. Sed quaestioni, an narrentur ibi vera *f a c t a* respondendum est negative. Nam fabulae istae indolem propriam clare manifestant demum in contextu, ex quo desumuntur. Quae quidem in eo consistit, ut ope narrationum id genus illustretur placitum quoddam rabbinis carum vel etiam

---

<sup>1)</sup> Maximam, quam inventi, resuscitationum rabbinicarum collectionem habet L. J. M c G i n l e y, *Form-criticism of the Synoptic Healing Narratives*, Woodstock (1944), 100. Sed in illis octo includit auctor duo facta praeservationis a morte (Šab 156 b; Jeb 121 b) et duo alia ubi resuscitatio a Rabbinis patrata ne verbo quidem innuitur. Prius est Ber 18 b, ubi colloquium cum defuncta in coemeterio narratur, et alterum Šebe 9, 33 d, 29, ubi „purificatio“ coemeterii tribuitur potius vi magicae lupini, quam actioni ipsius rabbinis atque etiam cadaver, dolose a Samaritano sepultum, potius sua sponte resurgit. Quam ob rem quattuor istas narrationes, utpote argumento diversas, omittendas censui, quintam vero ex opere P. F i e b i g, *Jüdische Wundergeschichte...*, 36 desumpsi et primo loco citavi (supra 91 sq.).

ipsorum effatum quodcumque celebre ita, ut narrata proposita sint ad instar cuiusdam „mašal”<sup>1)</sup> vel, ut mavult B u l t m a n n, apophthegmatis.<sup>2)</sup>

Sed praetermissis fabulis istis, quae manifesto multo posterioris sunt originis quam Evangelia, insistitur multum in textum primo loco in serie allegatum, utpote qui sit argumentum pro existentia opinionis in Palaestina temporibus Christi divulgatae de rabbinorum potestate aequali potentiae divinae.<sup>3)</sup>

Contra hanc suppositionem multi critici afferunt plures rationes easque graves. Primo itaque dicitur „adesse hic anecdoton, cuius est exaltare personam magni prophetae et hoc modo etiam magistrorum, qui ipsius officii nominisque sunt heredes, i. e. rabbinorum, sed inde minime sequi eos posse suscitare mortuos, sicut Elisaeus faciebat“.<sup>4)</sup> Deinde inculcatur potius contrariam opinionem praevaluisse illis temporibus apud rabbinos, videlicet soli Deo competere potestatem resuscitandi mortuos, quod his verbis exprimitur:

„Rabbi Johanan dixit: Tres claves sunt in manu Dei, quae manibus vel potentissimi viri numquam traduntur, nempe clavis pluviae, uteri materni et vivificandi mortuos“.<sup>5)</sup>

Qui textus in traditione Talmudica novem habet locos parallelos et videtur alludere ad verba prophetiae Ezechielis (37, 13): „Et scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulcra

<sup>1)</sup> „Ils (ces traits) ressortissent plutôt à l'apologue, au machal qu'à l'histoire, et la résurrection y joue un rôle manifestement commandé par le but de l'épisode“. L. de Grandmaison, op. cit. 2, 469.

Cf. etiam O. Perels, op. cit., 77. 81.

<sup>2)</sup> Cf. GST, 146.

<sup>3)</sup> Ita contendit P. Fiebig, Rabbinische Wundergeschichten, Bonn 1911, 37 sq.

<sup>4)</sup> „C'est là une anecdote destinée à rehausser la personne du grand prophète et, indirectement, les maîtres qui ont hérité de sa place et de son nom, les Rabbis. Il ne s'ensuit nullement que ces derniers puissent, comme Elisée, ressusciter les morts“. L. de Grandmaison, op. cit. 2, 467.

<sup>5)</sup> Ta'an 2 a.

vestra, et eduxero vos de tumulis vestris, popule meus..."<sup>1)</sup> Cum aliunde constet in Vetere Testamento hanc potestatem resuscitandi datam fuisse aliquando etiam hominibus, ad illos magnos prophetas, qui ipsa usi sunt, hanc concessionem esse restrictam opinabantur plerique rabbini, cuius opinionis testimonium exhiberi videtur hoc textu, qui multos habet locos parallelos:

„Deus dixit: Ego vivificabo mortuos. Olim tamen hoc fecerat per Eliam et Elisaeum et Ezechielem.“<sup>2)</sup>

Deinde constat ex operibus Iosephi Flavii nullum ex rabbinis qui temporibus Iesu Christi vixerant, gavisum esse fama thaumaturgi; e contra a saeculo demum III-o post Chr. n. incipiuntur in traditione Iudaeorum narrationes de miraculis rabbinorum.<sup>3)</sup>

Quod autem essentiam ipsius facti attinet, haec liceat animadvertere. Si narrantur in litteris Talmudicis miracula patrata a Deo, rabbini vel saepius viri, qui peculiari dono orandi pollebant (die Beter), sunt miraculorum istorum instrumenta tantum, eo videlicet sensu, quod misericordiam Dei precibus solent implorare.<sup>4)</sup> Iesus e contra propria omnino virtute vel communi cum Deo Patre patrasse miracula semper in Evangeliiis exhibetur.<sup>5)</sup> Talis autem agendi ratio esset certo in oculis Iudaeorum aliquid arrogantiae, immo blasphemiae. Nulla igitur adsunt vera parallela in traditione rabbinica ad narrationes thaumatologicas Evangeliorum.<sup>6)</sup>

<sup>1)</sup> Cf. Strack, 1, 523.

<sup>2)</sup> Pesiq 76 a; cf. Strack, 1, 895.

<sup>3)</sup> Cf. A. Schlatter, Das Wunder in der Synagoge. Gütersloh, 1912, 54 sq.

<sup>4)</sup> Cf. ibid., 76.

<sup>5)</sup> P. Fiebig, op. cit., 37 sq. in oratione Iesu ante resuscitationem Lazari pronuntiatam videt analogiam ad rabbinos „misericordiam implorantes“, sed perperam, cum Iesum id fecisse „propter populum“ ipse Evangelista clare testetur (Ioh. 11, 42). Alia omnino inoles orationis utrimque prostat.

<sup>6)</sup> Cf. A. Schlatter, op. cit., 82.



Si quis nihilominus contenderet has traditiones rabbinicas referri ad quaelibet facta praeterita, etiam tunc comparatio earum cum Evangeliiis instituta confirmaret fidem historicam Evangeliorum tantum, siquidem in litteris rabbinicis relationes, si quae sint, duobus saltem saeculis elapsis conscriptae sint, et certi testes eventuum desint omnino. Et quis modernus criticus factis in Evangeliiis narratis fidem praerberet, si haec demum saeculo III-o litteris mandarentur?

Huc accedit etiam differentia probabilitatis ipsorum eventuum utrimque narratorum. Quae differentia statim elucet, si comparantur inter se sobria, simplex, maiestate plena descriptio evangelica resuscitationum et fabulae rabbinorum, saepe pueriles, ut v. gr. narratio utraque de „Antonino“ Caesare (cf. supra pag. 93) vel de Rabbino Johanan (pag. 93 sq.), ubi circumstantiae miraculi: occasio, colloquia praecedentia, intentiones agentium personarum potius risum movere natae sunt.

Quae cum ita sint, concludendum est omnem externam similitudinem inter resuscitationes evangelicas et rabbinicas vigentem consistere dumtaxat in quadam concisione stilistica et delectu verborum. Hae similitudines probant solummodo nexum seu, ut hodie exprimi solet, continuitatem historicam narrationis cum loco et tempore originis, cuius generis notae semper adesse debent in quolibet documento fide digno, sed nullatenus sinunt deduci conclusionem adesse utrimque quicquam parallelum.<sup>1)</sup> Non est etiam nullius momenti, quod in tanta mole narrationum thaumatologicarum, quae in traditione prostant Iudaica, tam relative pauca occurrunt miracula resuscitationum.<sup>2)</sup>

## § 2. Narrationes Graecae examinantur.

Novem textus supra allegatos (p. 94—98) satius est melioris analyseos gratia in tres classes dividere, quarum prima: facta quaedam complectitur (nn. 1, 7 (a—b), 8), et quidem revo-

<sup>1)</sup> Cf. A. Schlatter, op. cit., 84.

<sup>2)</sup> Cf. L. de Grandmaison, op. cit., 2, 469.

candi ad vitam eos, qui mortui habebantur, altera: continet unam relationem, allegatam propter unum motivum (n. 3), tertia — in qua continentur fictiones quaedam litterariae (nn. 2, 4, 5, 6, 9). Ab hac classe incipiamus oportet.

Formula magica resuscitandi mortuos (n. 4 — pag. 95 sq.) testatur ad sumum adfuisse apud Graecos antiquos quosdam, qui se mortuos resuscitatuos esse pollicebantur. An ipsi hoc efficere posse crederent vel an ipsis a ceteris crederetur, ex textu solo nihil deduci potest; qui de his rebus silet omnino.

Fragmentum conservatum ex fabula „romanensi“ *Iamblichii* (n. 9 — pag. 98) reproducit — ut fas est suspicari <sup>1)</sup> — elementum quoddam historiae Apollonii Tyanensis, mox nobis considerandae. Patet ceterum heic tractari de morte apparenti tantum, non né vera resuscitatione, nam iste senex asseverat spiritum adhuc esse in puella.

Uterque *Luciani* textus <sup>2)</sup> (nn. 5 et 6 — pag. 96) est parodia generis litterarii aetologiae, in quo temporum illorum auctores soliti sunt nimis indulgere proclivitati ad fingenda maxime quaeque incredibilia. <sup>3)</sup> Documentum utrumque exigui momenti est pro nobis, nam exhibet stadium quoddam evolutionis sensus religiosi Graecorum eorumque gustus aesthetici, quod conspici potest saeculo IV-o post Chr. n. Quid autem Graeci saeculo I-o de resurrectione mortuorum senserint, melius comperimus ex eventu, quem sermo Pauli Apostoli in Areopago habitus reapse obtinuit (Act 17, 32).

Textus comoediae Aristophanis (n. 2 — pag. 94 sq.), qui nullum certo factum historicum dicendus est referre, considera-

<sup>1)</sup> Cf. R. Reitzenstein, *Hellenistische Wundererzählungen*, Leipzig 1906, 38.

<sup>2)</sup> L. J. McGinley, op. cit., 125 allegat quidem tertium textum Lucianeum (*Philops.*, 14), sed cum ibi agatur de specie quadam necromantiae, non de resuscitatione vera, ideo textum hunc omisi.

<sup>3)</sup> Cf. E. Rohde, *Der griechische Roman*, Leipzig <sup>3</sup> 1913, 396.

bitur infra tamquam motivum recurrens in narrationibus thau-  
matologicis.

Item textus inscriptionis Epidaurensis (n. 3 — pag. 95)  
examinabitur infra, ubi sermo fiet de momento topicae.

Eliminatis igitur textibus tertiae classis, utpote qui mi-  
nime sint consideratu necessarii, non remanent nobis nisi tres  
textus classis prioris, quorum cuiusque argumentum est factum  
prodigiosum revocandi ad vitam eos, qui ab omnibus mortui  
esse pubantur. Cum agatur de factis historicis, sequamur tem-  
poris ordinem in investigando.

*Empedoclis* prodigium citavimus supra in recensione  
*Heraclidis* Pontici relatum (n. 1 — pag. 94), qui de muliere  
exanimi (*ἄπνοος*) disserendo mentionem fecerat prodigii istius. Sed  
idem factum alio in loco refertur a *Diogene Laertio*  
una cum explicatione *Hermippi*, his verbis prolata:

„Hermippus autem dicit *sana sse* Panthaeam quandam  
Agrigentinam, de cuius salute iam medici desperaverant, ideoque  
perfecisse sacrificium“ (Vitae, 8, 11, 69).

Cum apud antiquos *Empedocles* magus fuisse du-  
ceretur haec traditio relata ab *Heraclide* et quidem am-  
biguis verbis fortasse omnino est legendaria. Si vero *Her-  
mippi* opinio de hoc prodigio consideratur, narratio de sana-  
tione catalepsiae seu stuporis dicenda est tractare.

*Asclepiades* Prusiensis, qui vixit exeunte II-o et ine-  
unte I-o saeculo ante Chr. n., bis exhibetur apud *Plinium*  
*Maiorem* (cf. supra pag. 96) magnam sibi nactus esse famam  
eo, quod „rettulit conservavitque a rogo hominem“ iamiam ut  
mortuum comburendum. Idem Asclepiadis prodigium elegan-  
tiore stilo descriptum legimus apud *Apuleium* (cf. supra  
pag. 96 sq.). Sed hic auctor rem explicat modo naturali dicens  
Asclepiadem animadvertisse quaedam signa „vitae latentis“ in  
illo homine et deinde „medicamentis provocasse animam in cor-  
poris latibulis delitescentem“. At viri docti ne tale quidem me-  
ritum nunc concedunt Asclepiadi, nam fortasse ducti opinione

Plinii (24, 16), quod: „Asclepiades trahebat... mentes artificio inani“, potius suspicantur famosum istum impostorem hoc in casu comoediam tantum praeordinasse.<sup>1)</sup> Quocumque modo fuerit reapse, certo non narratur in nostris textibus factum verae resuscitationis.

Apollonii Tyanensis prodigium (cf. supra pag. 97 sq.) refertur nobis a Philostrato, eiusdem discipulo et admiratore, qui certo certius noluit momentum eventus diminuere. Tamen ipse usus est his verbis: „Excitavit puellam a morte apparenti“, denique finiendo narrationem fatetur iudicium de hoc esse prolatu perquam difficile. Omnia haec verba saltem produnt dubium auctoris de vera resuscitatione et suggerunt tunc temporis sibi met ipsi arridentem explicationem ope mortis apparentis tantum. Non est igitur, cur nos post tot saecula plus velimus in textu invenire, quam relator ipse intenderit manifestandum.

E contra constat antiquos cognovisse iam remedia medica, quibus conabantur ad vitam revocare pressos veterno. Cuius rei specimen invenimus conservatum ab Artemidoro in suis Oniroticis (IV, 82), quod non inutile duco hic citare:

„Leonas Syrus luctaturus Romae in ludibus videbatur esse mortuus, et iam efferebatur, dum occurrens illi unctor quidam vituperavit efferentes, quod cito et frustra efferrent: se enim posse eum rursus facere vivum. Deinde oleo callido et pannis laneis circa pectus eum confricuit et reviscere eum fecit“.

Sed haec de Graecis id genus prodigiis sufficiant. A quibus e contra mirum quantum differunt resuscitationes evangelicae, quae describuntur ab auctoribus: 1) ut res gestae atque cum doctrina ceterisque actis vitae Iesu multiplici vinculo conexas,

---

<sup>1)</sup> „In der Geschichte der ärztlichen Charlatanerie nimmt A. eine hervorragende Stelle ein... So führte er auch eines Tages die Komödie auf, dass er einem angeblich unbekanntem Leichenzug, der ihm auf der Strasse begegnete, umkehren liess und den Toten lebendig und gesund machte“. Ita legimus apud Pauly - Wissowa, 2, 1632.

2) ut miracula vera, exclusa qualibet explicatione naturali, 3) ut manifestationes dominii, quod Christus nomine proprio exercet erga vitam et mortem. In litteris igitur Graecis quod attinet argumentum ipsum deest omnino quaelibet vera analogia ad resuscitationes evangelicas.<sup>1)</sup>

Art. 2. Momentum topicae seu „locorum communium“ discutitur.

Penitus exclusa similitudine, quod attinet substantiam facti, nunc restant nobis examinandae stili similitudines, quae tanti aestimantur a Schola Historiae Formarum.

Ac primum quidem comparatis omnibus in globo narrationibus thaumatologicis Evangeliorum cum eiusdem argumenti fabulis Graecorum, ultro concedenda est adesse quaedam externa stili similitudo, quae fundatur in illorum temporum ratione scribendi.<sup>2)</sup> Antiquos enim multo plus quam nos hodie in stilo dependisse a normis litterariis tunc temporis vigentibus et quodam modo obligatoriis compertum est. Sed minime, ut vult Schola, illa ratio scribendi, carens saepissime notis indolis personalis auctoris, ideoque redolens schematismum quendam, testatur de tardiore aetate aut origine anonyma. Haec enim ratio scribendi e contra optime explicatur duobus principiis nempe primo — tradendi res ipsas modo quam maxime fideli, impersonali, universali, seu — ut nunc exprimere solemus — obiectivo, prout hoc exigebatur a catechesi primitiva, altero principio, ut doctrina ipsa etiam quam maxime simplici modo traderetur, quo facilius dicta et actu Iesu mentibus fidelium infigerentur<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Merito igitur potuit concludere L. de Grandmaison: „dans l'immense masse de récits populaires ou légendaires de l'Hellenisme, la résurrection d'un mort ne figure quasiment jamais“. Op. cit. 2, 466.

<sup>2)</sup> Cf. E. Schick, op. cit., 205.

<sup>3)</sup> „So waltet über die Anfängen der nt. Ueberlieferung ein ganz überpersönliches, von strenger Sachlichkeit getragenes Ueberlieferungsprinzip, das auch die überindividuelle Form unserer Evangelien erklären hilft“. E. Schick, op. cit., 259.

Sed nostra nunc interest, ut examinemus, quales quantique momenti sint isti loci communes resuscitationum Graecorum et Evangelicarum. En ob oculos tabellam, in qua quaenam adsint utrimque motiva exhibetur, prout ea **B u l t m a n n** enumeravit in resuscitationibus evangelicis considerandis:

	τόποι <sup>1)</sup>	RESUSCITATIO		
		Iuvenis oppidi Nain:	Filiae Iairi:	Lazari
		Lc 7, v.:	Mc 5, v.:	Ioh 11, v.:
1	Thaumaturgus funeri occurrit . . . . .	adest (12)	deest	deest
2	Citatur aetas sanati . . . . .	deest	adest (42)	deest
3	Circumstantes dubitant de effectu . . . . .	deest	adest (40)	deest
4	Thaumaturgus manu gestum perficit . . . . .	adest (14)	adest (41)	deest
5	Idem pronuntiat verba (lingua barbara) . . . . .	adest (14)	adest (41)	adest (43)
6	Effectus statim sequitur . . . . .	adest (15)	adest (42)	adest (44)
7	Veritas effectus demonstratur . . . . .	adest (15)	adest (42.43)	adest (44)
8	Sanatus a thaumaturgo dimittitur . . . . .	adest (15)	? (43)	adest (44)
9	Circumstantes admirantur factum et agnoscunt miraculum . . . . .	adest (16)	adest (43)	adest (45)

Imprimis quod attinet rectitudinem observationum, quas fecit **B u l t m a n n**, haec liceat animadvertere:

Ad punctum 3.: Haud ita feliciter et **B u l t m a n n** et **D i b e l i u s** in risu circumstantium ante resuscitationem filiae Iairi (Mc 5, 40) vident locum communem „dubitandi de

<sup>1)</sup> Omissum est in hac tabella motivum removendi turbam profanam (Mc 5, 40) utpote quod analogiam tantum in Vetere Testamento habeat: 3 Rg 17, 19 et 4 Rg 4, 33. (cf. GST 239).

effectu“, nam turba oppidi Capharnaum in nostra narratione respondet risu praecise verbis Iesu de somno puellae, quam certo mortuam esse omnes pro comperto habebant. Alia est igitur ratio ridendi. At e contra ne verbo juidem manifestavit Iesus turbae se velle defunctam ad vitam revocare. Ceterum unusquisque *τοπος* inservire solet potius augendae impressioni miraculi, dum hoc in loco reapse verba Iesu hunc effectum labefactant <sup>1)</sup> et ita quidem, ut non defuerint olim critici, non utique e Schola Historiae Formarum, qui miraculum hoc non resurrectionem, sed sanationem a lethargo fuisse contenderint <sup>2)</sup>.

Ad punctum 5.: Nimis insistitur in verba ΤΑΙΘΑ ΚΟΥΜ tamquam in typicam *ῥήσιν βαρβαρικῆν*. Hoc enim termino Graeco bene designatur locutio qualibet mysteriosa, in lingua a u d i t o r i b u s ignota, de consilio prolata. Hic vero occurrunt verba aramaica omnibus adstantibus perquam nota. Ad summum igitur hoc modo statui potest quaestio: utrum Evangelista sub influxu stili narrationum id genus Graecarum interseruerit hoc loco verba in lingua originali pronuntiata (quae quidem Petrus testi miraculi optime poterat memoria tenere) an alia ex ratione. Influxus talis nequit sane reici a limine, sed neque certo affirmari. Idem enim Evangelista allegat verba Iesu in cruce morientis aramaice prolata ἘΛΩΙ, ἘΛΩΙ, ΛΑΜΑ ΣΑΒΑΧ-ΘΑΝΙ; (Mc 15, 34). Quo in loco non adest certo *ῥήσις βαρβαρικῆ* utpote quae nullius esset momenti pro historia Passionis, sed potius dicenda est adesse simplex testis *r e m i n i s c e n t i a*.

Sed nunc aestimemus, quanti momenti sint omnes isti loci communes.

Praeter circumstantiam primam, de qua infra fusius tractabimus, omnes reliquae nihil omnino peculiaris prae se ferunt. Nam vel ab ipsa natura facti exiguntur vel a scribendi ratione, quae fere semper ubique et ab omnibus eodem modo usurpari solet.

<sup>1)</sup> Cf. E. Schick, op. cit., 204.

<sup>2)</sup> Ita plerique fautores Scholae Liberalis.

Ab ipsa natura dico. Ad hanc enim pertinent media quam maxime communia atque consentanea omni aetati, uti verba et tactus manuum physicus, quae cuncta nihil prorsus extraordinarii nedum magici continent.<sup>1)</sup> Quid porro creditu facilius, quam quod in vero miraculo effectus statim sequatur, sanatus, dimittatur, circumstantes vero obstupefacti animi sensa verbis exprimant?

Et ab ipsa scribendi ratione, dixi, ad quam pertinent omnes circumstantiae, quibus necessario opus est ad demonstrandum aliquid re vera esse factum. Simillimo enim schemate atque illa prodigia antiqua etiam his temporibus describuntur miraculosae sanationes, v. gr. quae Lapurdi (Lourdes) fiunt;<sup>2)</sup> eandem fere structuram logicam exhibent testimonia de prospero effectu curae cuiuslibet medicinalis, obtento ope remediorum, quae saepe typis expressa in ephemeridibus leguntur<sup>3)</sup>. Nihil igitur ex hac comparatione colligi potest de veritate historica eventus narrati, cum ex ipsa eluceat solummodo studium auctoris, ut hanc veritatem demonstret. Quod quidem intendisse nostros Evangelistas, spectata operis eorum indole apologetica, probe novimus etiam sine investigationibus historico-morphologicis.

Restat tamen explicanda circumstantia primo loco posita in tabella supra exhibita, quod videlicet thaumaturgus obviam fit funeri. Quae quidem prostat in descriptione Lucana resuscitationis iuvenis oppidi Nain et simul in prodigio Apollonii Tyanensis apud Philostratum narrato. Haec similitudo alio atque alio modo hucusque a criticis<sup>4)</sup> aestimabatur. Ita v. gr. Fr.

<sup>1)</sup> Cf. O. Perels, op. cit., 82.

<sup>2)</sup> Cf. P. Benoit, art. cit., 502.

<sup>3)</sup> Quod argute animadvertit M. Goguel, art. cit., 142: „Il faudrait ajouter (le même schéma) dans ceux (récits) qui paraissent à la quatrième page de certains journaux pour prôner tel ou tel remède. Cette dernière observation... conduit à douter de la signification de l'analyse de structure et à penser qu'elle résulte de conditions que la nature même du récit à faire impose à la technique de la narration“.

<sup>4)</sup> Criticos dico Protestantes hoc loco, apud catholicos enim nondum repperi quicquam.



Chr. Baur in libro, quem de Apollonio et Christo scripserat,<sup>1)</sup> admisit narrationem paganam simpliciter a fonte evangelico dependere. Quam sententiam reiecerunt auctores studio litterarum Graecarum peculiari incumbentes.<sup>2)</sup> Qui contendunt *Philostratum* solummodo ab aretalogiis Graecis quaedam elementa mutua desumpsisse. Schola denique Historiae Formarum supposuit rem omnino contrariam opinioni, cuius auctor est Baur, admittendo Lucam usurpasse motivum typicum in litteris Graecis. Cui hypothese adhaeserunt etiam nonnulli fautores Scholae Liberalis<sup>3)</sup>.

Sed liceat pauca animadvertere de hoc motivo, ut aiunt, *typico*. Primo ista denominatio „typici“ videtur esse exaggerata. Ad hoc enim, ut elementum quoddam iure meritoque locus communis narrationum dici possit, necesse est re vera id frequenter prostare in textibus et quidem intra limites eiusdem generis litterarii. At reapse neutrum contendi potest de nostro elemento: neque frequentia neque genus idem. Nam quod frequentiam attinet, prius computemus locos, ubi occurrit illud motivum. In litteris generis litterarii thaumatologici prima vice occurrit pars quaedam huius elementi in descriptione sanationis Sostratae (nr. 3 — pag. 95), nempe Asclepium deum obviam venisse mulieri aegrotae, quae in lectica portabatur, eamque deinde iussisse deponi. Secundo: in *Aristophanis* „Ranis“ (nr. 2 — pag. 94 sq.) Dionysos videt funus appropinquari, sed de vera resuscitatione vix ibi fit sermo.<sup>4)</sup> Ceterum in alio iam genere litterario versamur, videlicet in comoedia. Post Apollonium Tyanensem, quem tertio loco enumerare oportet, idem elementum prostat in citata fabula *Iamblichi* (nr. 9 — pag. 98), cuius dependentia a narratione *Philostrati* communi pe-

<sup>1)</sup> Cf. eius opus: *Apollonios von Tyana und Christus*, Tübingen 1832, 145.

<sup>2)</sup> Cf. E. Rohde, *Der griechische Roman*, Leipzig<sup>3</sup> 1914, 396; et O. Weinreich, *Antike Heilungswunder*, Giessen 1909, 171 sq.

<sup>3)</sup> v. gr. O. Perels, op. cit., 84, qui concedit hoc tantum loco manifestari influxum hellenicum in narratione thaumatologica Evangelii.

<sup>4)</sup> Cf. O. Weinreich, op. cit., 171.

ritorum consensu solet admitti. Ergo quattuor quidem loci citantur sed integrum motivum bis tantum invenitur, quod — ut opinor — ad motivum typicum constituendum vix potest sufficere. Deinde manifestum est unamquamque relationem alio ex genere litterario esse decerptam, nam  $\tau\alpha\mu\alpha$  Sostratae est inscriptio votiva, scena Airstophanis est omnino phantastica et nuncupari potest parodia mythorum, descriptio Philostrati pertinet ad biographiam, Iamblichi narratio invenitur in fabula „romanensi“. E contra Evangelia nostra omnino peculiare genus litterarium constituere plerique auctores et vel ipse Bultmann pro certo habent <sup>1)</sup>.

Deinde facilius quam verius statuitur dependentia narrationum. Nam ut quaelibet circumstantia similis, in duabus variis relationibus occurrens, inclinet nos ad supponendam mutuum dependentiam, prae se ferat characterem vere peculiarem oportet. Secus enim hac condicione deficiente, comittitur frequens error petendi similitudines nimis a longe. Atqui haec nostra circumstantia, scil. thaumaturgum, qui mortuum revocaturus sit ad vitam, obviam venire funeri, nihil — ut opinor — prae se fert vere extraordinarii, nam id rursus dicendum est stricte coneccti cum natura eventus. Non sunt enim nisi tria loca ubi generatim loquendo fieri potest resuscitatio, nempe vel dum defunctus domi adhuc iacet (ut filia archisynagogi), vel durante pompa funebri (ut iuvenis oppidi Nain revocatur ad vitam) vel denique e sepulcro (sicut Lazarus). Motivum ergo seu melius: elementum funeris obviam venientis reducit hoc modo ad ea, quae supra tamquam ab ipsa facti natura postulata designanda curavimus. Sicut nemo sane est, qui ideo duas relationes de miraculosa sanatione a se invicem dependere suspicetur, quod utrimque aegrotus in lecto iacere describatur. Ergo dum versamur stricte intra limites criticae litterariae, nihil concludendum videtur de dependentia mutua utriusque narrationis, e contra spectatis omnibus, praesertim essentia facti

---

<sup>1)</sup> Cf. GST 400.

omnino diversa nihil obstat, quin omnino a se independentes declaremus.

Si vero iam ad criticam h i s t o r i c a m utriusque facti transimus, pensanda est imprimis omnimoda diversitas amborum. Revoceamus oportet in memoriam quod iam pro comperto habemus, litteras scil. Graecas omnino carere descriptione veri miraculi resuscitationis, cum omnia exempla allata ex mente ipsorum scribentium aut uti omnino phantastica exhibeantur aut ad lethargi sanationes facili negotio reducantur. Dum e contra de Lucana descriptione neutrum dici potest, nisi textui ipsi vis inferatur. Nam primo: in Evangelio miraculum illud exhibetur tamquam factum vitae terrestres Iesu, et quidem factum geographice strictius, chronologice minus stricte determinatum, deinde ex textu ipso ne levissima quidem suspicio lethargi deprehendi potest: neque enim his in circumstantiis status ille morbosus iuvenis a Iesu praevio quolibet examine dignoscitur neque ipse Iesus quamlibet curam medicinalem adhibet, sed solo verbo mortuum excitat.

Quam ob rem si nemo est, qui adstruat dependentiam narrationis P h i l o s t r a t i de Apollonio Tyanensi ab illa inscriptione Epidaurensi, ubi de Sostrata agitur, propter manifestam factorum diverstatem, quonam iure supponi potest a fabulis Graecis dependere L u c a m, tam sollicitum veritatis historicae exhibendae?

Diu sane immorati sumus considerantes momentum topicae, sed operae pretium est, nam hoc modo manifestata est methodus, quae merito a celeberrimo quodam auctore „chimica“ nuncupata est. Huius modi analysis, quam Schola Historiae Formarum adhibere vult in topica thaumatologica investiganda, et quidem contra fidem historicam miraculorum Evangelii, ex his quae supra disseruimus, potius thesim traditionalem de substantiali independentia Evangeliorum ab ullo fonte pagano adeoque f i d e m historicam testimonii mirum in modum corroborasse dicenda est.

Art. 3. Quanti sint momenti differentiae, quae intercedunt inter evangelicas resuscitationes et profanas.

Hucusque Scholae asseclorum vestigia prementes, fere unice analyticam methodum sequebamur. Sed merito a multis criticis vitio datur Scholae hoc studium parziale, siquidem — figurate rem exprimendo — similes lateres de similitudine essentiali aedificiorum non ita multum testentur. Integrae igitur miraculorum illorum imagines nunc nobis sunt reconstruendae, ut de similitudine, si quae sit, iustam sententiam feramus. Quod quidem vel facillime obtinebitur, si differentias, hucusque quasi per transennam hic inde aspectas, in unum collegerimus.

Maximi serto momenti est differentia essentialis ipsius obiecti seu facti narrati. In solis Evangeliiis adsunt resuscitationes, quae proponuntur ut res gestae et quidem indolis saltem praeternaturalis tamquam manifestationes divinae potentiae, factae ad confirmandam Iesu Christi missionem. In traditione rabbinica est sermo quidem de miraculosis resuscitationibus, sed, spectato ipso genere litterario et scribentium scopo, dicendum est omnia ista miracula ibi proferri non ut facta historica, a testibus relata, sed esse principiorum quorundam elucidationes anecdoticas. In litteris autem Graecis Latinisque iam vidimus nullam prorsus resuscitationem sensu stricto, scilicet factum praeternaturale cum significatione religiosa connexum, inveniri descriptam, sed occurrere ad summum facta quaedam prodigiosa non satis explicatu facilia ipsis narrationum auctoribus, sed potius peculiari cuidam humanae sollertiae tribuenda.

Deinde manifesto diversus est stricte ab obiecto dependens color seu — ut nonnulli malunt — „tonus generalis“<sup>1)</sup> narrationum et proude omnino diversa est impressio, quam eas legendo subimus. Evangelistarum modus loquendi est modestus, sobrius, historiae proprius et praeprimis spiritalis. Quae — ut ita dicam — unctio religiosa Evangeliorum toto caelo distat tum ab indole apophtegmatum rabbinicorum, quae saepe vel risum movent lectoris, tum ab omnino profana et „romanensi“ ratione scribendi Graecorum. Si igitur admittimus in scriptis

<sup>1)</sup> Cf. L. J. McGinley, op. cit., 145—7, ubi in tabellis comparationum prostat haec rubrica.

relucere imaginem vitae communitatis seu, ut ait Schola, a t m o s p h a e r a m, concludendum est primitivam Christianorum communitatem diversa omnino aura respirasse diversoque modo aestimasse Christi miracula atque rabbinorum discipuli et Graeci fabularum et auctores et lectores.

Tum thaumaturgus eiusque potestas penitus alia luce illustrantur. Iesu Christi potestas in resuscitandis mortuis manifestata exhibetur tamquam uniyersalis et absoluta, i. e. vere divina. Dum e contra rabbinorum potestas est semper limitata, cum dependeat semper a Dei „misericordia“, quam implo- rant. Rationes, quae movent Iesum Christum ad haec miracula patranda deinde ipsa modestissima ratio agendi mirum quantum superant sublimitate morali fere semper ridiculos, nonnumquam et fastidiosos conatus rabbinorum. Quid autem hac in re de Graecis dicendum? Indoles religiosa ne conspicitur quidem in illis portentis, quorum causae potius humanae quamvis insolitae sollertiae ab ipsis relatoribus adscribuntur. Quod autem attinet moralem indolem thaumaturgorum, animadvertendum est eos minime a vana gloria abhorrere.

Denique Christi miracula resuscitationum non sunt παρά- δοξα tantum seu exceptiones in cursu naturae patratae, sed plena sunt profunda significatione symbolica, religiosa et morali. Quem sensum profundum frustra quareremus apud Graecos qui humanae dumtaxat sollertiae describendae incumbunt apud rabbi- nos autem sensum quidem religiosum inveniemus, sed supersti- tione permixtum necnon propensionibus eorum praesumptuosius apprime consentaneum.<sup>1)</sup>

Similibus notis nunc cum differentiis in unum collatis ob- tinuimus imaginem indolis plane diversae. Dum enim similitu- dines consistunt in natura tum rei narratae tum scribendi ratio- nis, proindeque merito tamquam externae aestimantur, e contra differentiae factorum m e d u l l a m attingunt. Quae

<sup>1)</sup> Hanc comparisonem fusius tractatam, praesertim contra Pauli F i e b i g supposita cf. apud G. K i t t e l, Jesus und die Rabbinen, Berlin—Lichterfelde 1914, 25—9.

igitur tam similia et iamiam analogae origine et indole visa sunt asseclis Scholae Historiae Formarum, investigatione accuratiore instituta, plane diversa esse patet.<sup>1)</sup> Quo stabilito, concludendum est solis externis stili similitudinibus ad narrationum fidem historicam denegandam niti non posse.

### CAPUT III.

#### DE CETERIS SCHOLAE ADNOTATIONIBUS AD RESUSCITATIONES FACTIS

Altera in parte huius dissertationis examinata sunt ea Scholae placita, quae narrationibus thaumatologicis Evangeliorum fidem historicam derogant, ceterae vero adnotationes ex iis, quas supra (pag. 98—106) exposueramus, prorsus omissae sunt.

Cuius selectionis hae sunt rationes. Quamvis reapse non solum agnosticismus historicus pertineat ad Scholae placita, tamen haec conclusio denegans veritatem historicam miraculorum certo maximi est momenti. Deinde placuit nobis synthetica methodo potius uti, in eo videlicet sensu, ut non singulis adnotationibus singula darentur responsa, sed potius omnia haec prius ad generaliora principia reducerentur et deinde simul ad trutinam revocarentur. Denique et hoc velim consideretur: comparatis inter se adnotationibus his particularibus prius expositis et iis, quae in altera parte sunt aestimata, patet re vera perpauca remanere nondum examinata et quidem minimi momenti. Minimi dico tum in se tum ideo precise, quod non sunt propria Scholae placita, sed ab aliis auctoribus mutua desumpta, ut v. gr. tota fontium distinctio in narratione Iohannea. Quam ob rem omnia

---

<sup>1)</sup> „Traits common to three traditions are only those due to the choice of subject matter and the unity of human nature... The synoptic narratives so differ from the analogies adduced, that their very form indicates a different origin and development. In brief: the argument from analogy, tested according to form-critical methods on the proving ground of healing narratives, demonstrates the falsity of form-criticism's general conclusions“. Cf. L. J. M c G i n l e y, op. cit., 152.

haec, quae haud ita multum nostra interest discutere, in hac dissertatione censuimus omittenda.

Sed antequam examini placitorum Scholae finis ponatur, merito interrogandum est, utrum nihil veri nihilque solidi remaneat ex iis, quae habet Schola de resuscitationibus evangelicis. Hoc contendere non ausim. Non desunt enim quaedam omnino recte animadversa, quae tum historicam fidem earum valent confirmare tum pleniorum sensum sinunt nos expiscari. Quas breviter saltem nunc placet enumerare.

1. Resuscitationes evangelicas, prouti describuntur, recte aestimat Schola ex opinione Evangelistarum et primorum fidelium vera fuisse miracula supernaturalia, ideo in Evangeliiis exhibita, ut Iesu Christi divina missio vel etiam origo clare comprobaretur. Quod Scholae assertum magni est momenti utpote prorsus contrarium conaminibus Scholae Liberalis reducendi resuscitationes, saltem filiae Iairi, ad facta, quae aliquatenus viribus naturalibus possint explicari.

2. Innuendo nexum existere inter vitam primitivae communitatis religiosam et originem Evangeliorum, recte forsitan admisit Schola exigentias quasdam liturgicas influxisse, ut tres nostrae pericopae e catechesi orali decerptae litteris sint mandatae. Hactenus de animadversis, quid vero de methodo?

3. Conamen quidem deducendi ex consideratis: lingua, stilo, genere litterario conclusiones de narratorum veritate certo irritum est. Nihilominus tamen huiusmodi investigationes, iustis contentae limitibus, multum conferre possunt ad illustrandam modo magis peculiari ipsam originem nostri textus Evangeliorum.<sup>1)</sup> Topica enim in pingendo et schematismus quidam ex una parte catechesim oralem detegi sinunt tamquam ultimum textus substratum; vivacitas vero singulis auctoribus propria, color peculiaris, notae cunctae indolis personalis Evangelistarum in scri-

---

<sup>1)</sup> Cf. J. Sickenberger, Die Geschichte des N. T., Bonn<sup>1</sup> 1934, 71.

bendo ex altera parte, quanta fuerit propria cuiusque eorum solertia, luculenter possunt demonstrare.<sup>1)</sup>

Haec igitur habui, quae dicerem de Schola Historiae Formarum, resuscitationes evangelicas aestimante.

## EPILOGUS

Restat nunc, ut considerationum nostrarum summam subducamus. Ab his viris doctis, qui Scholae Historiae Formarum principia, placita, methodum hucusque ad trutinam revocarunt, unanimi fere consensu reprehenditur tamquam *πρωτον ψευδος* constructionis theoricæ, qui est causæ, cur Scholae illius hypotheses extra veram vitæ primorum Christianorum historiam versentur.<sup>2)</sup>

Quod quidem iudicium omnino recte prolatum esse probant ea, quae supra exposuimus. Principia enim — ut aiunt — rationalistica iubent Scholae fautores negare atque respuere elementum quodlibet miraculosum in rebus gestis. Exinde oritur scepticismus, qui narrationibus cunctis thaumatologicis fidem historicam prorsus abiudicat. Cui diffidentiae rationem atque fundamentum expetunt Scholae magistri a critica litteraria formarum, quas induit traditio evangelica. Sed hoc in conamine transgrediuntur iustos propriae methodi limites, cum a forma consideranda facilius quam rectius ad conclusiones fidem argumenti negantes transiliant. Ulterior consecutio haec est: de Iesu historico desperati versus fideismum theologiae, quae dicitur, dialecticae fugam arripere coguntur. An hoc modo quodlibet fidei

---

<sup>1)</sup> Non defuerunt hucusque conamina id genus investigationum. Quod huius dissertationis materiam attinet, nempe de filia Iairi, cf. E. Schick, op. cit., 201—5; E. Rideau, En marge de la question synoptique, Biblica 15 (1934) 492.

<sup>2)</sup> „...les critiques de la FG se placent en réalité hors de la vie et du réel... La prépondérance de l'esprit géométrique sur l'esprit de finesse et l'abus de la construction théorique paraissent être les caractéristiques essentielles de la nouvelle école“. M. Goguel, art. cit., 159.



fundamentum servari possit, utpote quae revelatione divina in rebus gestis facta nitatur, merito dubitatur, et quidem non solum a viris catholicis <sup>1)</sup>).

Sed et novum hoc modo oritur idque omnino inexplicabile aenigma historicum, origo videlicet fidei primitivae Christianorum communitatis. Aenigma istud: undenam habeatur fides in Christum Deum sine ullis factis admirandis eius vitae, est omnino superfluum, si „sedes vitalis“ huius fidei admittuntur esse ipsa Iesu Christi vitae facta, a testibus fide dignis primae Christianorum generationi tradita, deinde, Ecclesia vigilante, litteris mandata.

---

<sup>1)</sup> „Wer die Geschichtlichkeit des Sohnes preisgegeben hat, hat damit letztlich die Offenbarung preisgegeben. Denn Gottes Offenbarung ist die Tat; sie ist das Wort nur, sofern es vor der Tat zeugt. Das Wort ohne die Tat, von der er zeugt, ist nicht mehr Gottes Offenbarung, sondern ein Rätsel“. Fr. Buechsel, op. cit., 75 (241).